

1.51.5

*Imp. Honorius et Theodosius AA. Seleuco pp.*

Nemo in provinciis, qui semel domestici vel cancellarii ministerium gesserit, ad eandem observationem aliqua ambitione iterum remeare concedatur.

*D. III id. Dec. Ravennae AA. X et VI cons.*

[a. 415]

1.51.6

*Idem AA. Vitaliano duci Libyae.*

Nemo de domesticis ducum vel comitum militarium, officiis eorum connumeratus, post completum sui temporis actum ad eandem rursus sollicitudinem audeat aspirare: decem auri librarum condemnatione proposita, si quis hanc violare voluerit sanctionem: eadem poena officio quoque coercendo, si per ambitionem vel avaritiam ex his aliquid temerari concesserit.

*D. VIII k. Nov. Constantinopoli Honorio A. XI et Constantio II cons.*

[a. 417]

1.51.7

*Idem, AA. Eustathio pp.*

Velut castrense peculium filii familias adessores etiam post patris obitum vindicent, qui consilii propriis administratores iuvare consueverunt, si quid licitis honestisque lucris coadunare potuerunt.

*D. X k. April. Constantinopoli Honorio XIII et Theodosio X AA. cons.*

[a. 422]

1.51.8

*Idem AA. Asclepiodoto pp.*

Nullus iudicum ad provinciam sibi commissam quemquam secum ducere audeat, cui domestici vel cancellarii nomen imponat, nec profectum ad se undecumque suscipiat, ne famae nota cum bonorum publicatione plectatur, periculo enim primatum officii cancellarios, sub fide gestorum ex eodem officio electos iudicibus applicari iubemus, ita ut post depositam administrationem nec militiam deserant et provincialibus praesentiam sui exhibeant, quo volentibus sit accusandi eos facultas, si enim idonea causa exegerit, ad detegenda iudicis flagitia et quaestioni eos subdi oportet.

*D. prid. k. Iun. Constantinopoli Asclepiodoto et Mariniano cons.*

[a. 423]